



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum II. Presbyterum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. Notandum secundò. Clerici beneficiarij benignè à Prælati tractandi sunt, ita ut debita ipsis stipendia non auferantur, aut minuantur, nam alioquin idonei ministri non reperientur, qui Ecclesijs servire velint, præsertim si onus & curam animarum sustinere debeant.

CAPITULUM II.

Presbyterum.

PARAPHRASIS.

Si Presbytero duo digiti, cum medietate palmæ, à Prædonibus v. g. abscissi sint, Missam ei celebrare non licet, tum quia securè non potest propter debilitatem, tum quia sine scandalo non potest propter deformitatem.

SUMMARIUM.

1. Irregularitatem ex corporis vitio dua causa inducunt.
2. Quæ ante susceptos Ordines non unquam irregularitatem simpliciter inducunt, ea post susceptos Ordines, si superveniant, sæpe tantum irregularitatem secundum quid inducunt.

1. Notandum. Duæ sunt causæ inducentes irregularitatem, ex corporis vitio, quarum singulæ sufficiunt, videlicet, si ex vitio seu debilitate impediatur congruum exercitium Ordinis, vel si notabilem deformitatem, ideòque aliquem horrorem inspectantibus afferat. Porro si in casu aliquo speciali per jura definitum non sit, num infirmitas, seu debilitas tanta sit, aut tam deformis (prout hic definitum est de duobus digitis, cum palma media abscissa) Episcopi ordinantis judicio committi debet. Vide quæ dixi *lib. I. tract. 5. p. 5. c. 7.*

2. Id verò benè monet *Abb. hic n. 4.* & habetur in *c. præcepta 12. distinct. 55.* tametsi talis infirmitas, seu mutilatio ante susceptos Ordines, hominem faciat absolute irregularem (imò minor requiritur ad irregularitatem inducendam deformitas in non

ordinato) tamen post susceptum Ordinem non facit irregularem simpliciter, sed prohibitum tantum ab eo Ordinis suscepti exercitio, quòd sine periculo, aut sine irreverentia, aut scandalo ab ipso præstari nequit. Exempli causa, presbyter mutilatus, aut cæcus licet celebrare non possit, confessiones tamen audire non prohibetur.

CAPITVLVM III.

De Rectoribus.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesiæ Rector seu Parochus lepram contraxerit, ita ut ministrare Ecclesiæ non possit, Coadjutor ei assignandus est, qui animarum curam exerceat, eique ex Ecclesiæ redditibus portio congrua præbetur.

SUMMARIUM.

Si impotentia Prælati diuturna sit, & non emendabilis videatur, dandus est illi Coadjutor.

Notandum. Si infirmitas seu impotentia Prælati, aut Rectoris Ecclesiæ duratura, vel non emendabilis videatur, dandus est ei Coadjutor. Distinguendum tamen est; vel enim Ecclesiæ Rector, aut Prælati non tantum officio, sed neque temporalium rerum administrationi præse posse potest, qui est casus c. sequentis, quando lepra v. g. talis est, ut Rector in communi societate vivere non possit, tunc ab administratione & officio removendus est congruè ei ex facultatibus Ecclesiæ portio designata, & alius in locum ipsius substituendus, & intitulandus est. Vel infirmus administrationem temporalium ipsiusque beneficij retinere potest; hoc in casu, Coadjutor dari debet, ita ut redditus pertineant ad infirmum, atque ex eis congruam portionem dare teneatur Coadjutori, qui est casus hujus capituli.